



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. lxiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

bes & barbarus sit, qui hoc discere, & verbis communi-
bus pronunciare non possit: tam magna, vt qui horū sciē-
tiam pleniter capere potuerit, sufficere sibi credatur ad
salutem perpetuam. Illud etiam obseruandum, vt nullus
suscipiat infantem in baptismo à sacro fonte, antequam
idem Symbolum & Orationem dominicam coram pres-
bytero decanter. Et tunc presbyter omnibus patrinis an-
nunciet, quòd debitores sint suis filiolis, quum ad intelli-
gibilem aetatem venerint, hæc eadem insinuare.

De eadem re. Cap. LXIII.

IVBENDVM est, vt Oratio dominica, in qua omnia *Ex cōcil.*
necessaria humanæ vitæ comprehenduntur: & Symbo- *Cabillon.*
lum apostolorum, in quo fides catholica ex integro com- *cap. 4.*
prehenditur, ab omnibus discatur, tam Latine, quàm Bar-
baricè, vt quod ore profitentur, corde credatur, & intel-
ligatur.

De dilectione dei & proximi. Cap. LXIII.

ITEM prædicandum est de dilectione Dei & proximi, *Ex eodē,*
de fide, & spe in Deo, de humilitate, patientia, castita- *cap. 5.*
te, benignitate, misericordia, de eleemosynis, de confes-
sione, vt fratribus ex corde remittatur. Qui hæc & similia
agunt, regnum Dei consequentur.

*De criminibus, quibus homines cum diabolo
deputantur. Cap. LXV.*

ITEM prædicandum est, pro quibus criminibus homi- *Ex eodē,*
nes cum diabolo deputantur, quæ Apostolus sic enume- *cap. 4.*
rat: Fornicatio, immunditia, luxuria, idolorū seruitus, ve-
neficia, inimicitia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ,
dissensiones, sectæ, inuidia, homicidia, ebrietates, cōmes-
sationes, & his similia. Qui talia agunt, regnum Dei non
consequentur: & ideo hæc cum omni studio prohibeantur.

*Vt de auditorio nullus egrediatur, sacerdote
verbum faciente. Cap. LXVI.*

SACERDOTE in Ecclesia verbum faciente, qui e- *Ex cōcil.*
gressus de auditorio fuerit, sine graui necessitate, ex- *Cartha-*
communicetur. *gi. ca. 74.*